

Ex
SPIRITUUM SCIENTIA,
ANIMAE SEPA-
RATAE
STATVM NON ESSE
VIOLENTVM,

PRAESIDE

M. IO. CASP. LOESCHERO,
E. T. PHILOSOPHORVM ORDINIS
ADJVNCTO,

Ad. d. 5. Octobr. clō Io ccl.

In Auditorio majori

DISPVTANDO DEMONSTRABIT

CHRISTOPHORUS CRUSIUS,
MARTISB.

S.S. Theol. Studiosus.

VITEMBERGAE,
Typis CHRISTIANI GERDESII.

a. LXX. 20.

. diss. A
20

SPRITUM SCHWAMM
ANIMALIUM
RATIA
STATVM NON ESSE
VIOLENTVM
PRAESIDIUM
MIO. CASP. OESSENERO
R. THEOLOGO
AD. d. s. Olopt. cl. b. c. d.
In Auditorio
DEPT. SDO. DEMONSTRAT.
CHRISTOPHORUS CRTSIS
MAR 1588
S. Theol. Studios
KLEBERGMA
Typo CHRISTIANI GRIEDEL



Ornatisfimo Politisfimoqve D. Autori

RESPONDENTI

D. CHRISTOPH. CRVSIO,

gratulatur **PRAESES.**

SI praesentem apud nos rei literariae statum conditionemqve mecum reputo, non possum differi, sic comparatas in nostris regionibus esse literas, ut per multi abjecta literarum elegantiarum cura Philosophiae operentur, alii vero, licet pauciores, amoenioribus studiis operam impendant, inqve his tantum elaborent. Unde perpaucis, utraqve studia curae sunt, quae tamen felici connubio conjungi possunt, imo debent. Res ipsa loquitur, hoc e republica literaria esse, easqve doctorum Virorum sermonibus juxta ac scriptis merito celebrari, qui et Philosophiae operam dederunt, et humaniores atqve elegantiores literas in deliciis habuerunt. Hos imitemur, et more Themistoclis, horum gloria, tanquam Miltiadis alicujus trophaeis nos excitari patiamur! Hunc vero mihi non solum, sed Tibi etiam, Ornat. Politisf. Dn. Crusi, esse animum satis mihi constat. Etenim in Autorum notitia comparanda occupatus fuisti haecenus, et Philosophiam praeterea non aspernatus es, quod hoc specimen literatorum judicio a Te commissum plenius confirmat. Quapropter cum Tibi tum maxime *Plurimum Reverendo D. Parenti Tuo* ex animo gratulor, mentemqve divinam veneror, ut studia, et conatus tuos porro fortunet, quo fructus eorum in Te Tuosqve quam primum cumulatisfime redundet.

Dabam ex Musaeo d. 5. Octob. 1701.

Plerides tua facta probant, dum differis apte,
Munera sudoris maxima, crede, feres.

FRIED. GOTTLIEB. LOESCHERUS.

J. U. St.

Gratulor hanc tibi met, Crusi Ornatisime, mentem,
Atque ferat specimen commoda mille, precor.

gratulaturus scribebat

M. VALENT. KRAVSOLD,

Martisb.

Inter amicorum plausus mea gaudia surgunt,
Atque jubent, ut mens nunc pia vota ferat.

MART. GOTTHELF. LOESCHER

Medicin. Studios.

AD

Virum Plurimum Reverendum,

CHRISTIANUM CRUSIUM,

Diaconum Aulicum Martisburgensem
longe meritissimum.

Perreverende Senex, doctrina et moribus acer,
Quem mea Musa colit, dum vehit Albis aquas!

Hic Tuus est natu minimus, virtute secundus

Est nulli: Fratrum est aemulus atque Patris.

Perge, ut fecisti sumptus impendere largos,

Innumeros fructus Filius ille dabit.

Hinc gaude atque animo mordaces ejice curas,

Constat enim spes nunc non cecidisse Tuas!

MICHAEL CONRADI,

Philos. Stud.



F!

§. I.

Deliberanti hactenus mihi de commodo Di-
sertationis argumento varia se offerebant,
ex quorum numero non displicebat con-
troversia : An Pnevumatica peculiaris sci-
entia sit appellanda ? Post longam vero deliberatio-
nem animus fuit de eo disquirere : Num animae sepa-
ratae status sit violentus ? De quo argumento acturus
prooemii loco eam quaestionem praemittam : Utrum
scilicet anima Angelo sit nobilior ? Insignis enim pro-
fecto, et non ignobilis est controversia de dignitate
ac nobilitate animae separatae, quae etiam à per-
multis agitata est. Non defuerunt, qui passim ne-
gantium partes defenderent, variisque argumentis
eam sententiam comprobare studerent, qui tamen
operam et oleum perdiderunt. Quapropter Conim-
bricenses Philosophi maximam sibi laudem acquisi-
verunt, quando sententiam hanc accurate multis ar-
gumentis impugnarunt. Angeli enim ab omni cum

A

cor-

corpore, aut materia quodam, unione liberi sunt, quod de anima dici non potest, quae non in eum finem creata est, ut in statu separato vivat, sed ut potius cum corpore vi unionis conjuncta sit, et ad tempus licet separata post hujus mundi interitum corpus illud, a quo per mortem separata fuit, iterum informet. Accedit etiam, quod anima separata sit Ens incompletum, atque adeo Angelo, qui Ens completum est, praeferrari non debeat. Proinde non obstat, quando nonnulli objiciunt, animam tamen Christi nobiliorem esse; ad quod facile responderi potest, hoc non fieri ex causis physicis et naturalibus, sed hyperphysicis ac supernaturalibus propter unionem scilicet personalem, atque ex singulari gratia. Possemus et alias rationes in medium adducere, sed quoniam apud doctissimum accuratissimumque *Scheiblerum* de hoc argumento praecipue contra Gregorium Venetum, quem eam quaestionem affirmasse scribit, disputantem, multae rationes legi possunt, actum agere videremur, si ejus verba et rationes hic excruberemus.

§. II.

Quemadmodum autem in communi proverbio dicitur: Qui bene distingvit, bene docet; ita etiam haec controversia facile potest componi, si accurate distingvimus, atque distinctiones eas, quibus rem aliqui obscuram expedire possumus, applicamus. Rem itaque clarius proposituris statim distingvendum est inter statum animae separatum, et statum unionis. Cum enim duplex animae status sit, ex duplici hac conditione

tione

tione animae clarissime demonstrari potest, animas mutationi aliquo modo esse subjectas. Quoniam vero mutatio illa à nonnullis latius, quam par est, extenditur, paucis de eo disquiremus: Utrum anima in statu separato constituta possit mutata dici? Ubi breviter erit monendum, ipsam animae essentiam non immutari, sed animae separationem esse privationem unionis cum corpore, quae est modus animae. Quae consequentia ex hoc flueret, si statueremus, animam mutationi essentiali esse obnoxiam, quae spiritus est, atque vi attributorum immutabilis appellari debet. Quod si enim ipsa animae essentia, quando cum corpore conjuncta est, mutationem non patitur, multo minus dicere possum, animae essentiam extra corpus mutari. Unde non indocte *Alstedius L. VI, Encyclopaed. Cap. IV.* hunc in modum disserit: *De hoc separationis statu quaeritur: An afferat animae aliquam mutationem? Respondetur separationem illam esse privationem actus secundae animae i. e. informationis sive unionis erga corpus, et quod hinc sequitur, ipsius relationis ac praesentiae, tum ad idem corpus, tum ad caetera, quibus ratione corporis fiebat praesens: Omnis denique concursus, quem per proprias facultates solebat exhibere. Unde facile respondere possumus quaerenti, an per separationem anima rationalis mutetur, distinguendo, inter mutationem positivam et privativam. Dicere et fateri debemus, animam rationalem mutationem quidem subire privativam, quae non vero positivam, quae est *ἁρμόδιος*.*

§. III.

Haec vero Prooemii tantum loco dicta fuerunt; Quare de praecipua Thesi, de qua impraesentiarum acturi sumus, agere auspicabimur. Equidem illa, quae haecenus, pronunciata fuerunt, non parum possunt illustrari per quaestionem nostram: An animae separatae status sit violentus, nec ne? Haec enim est illa Thesis, quae nobis occasionem ansamque dedit, ut ex nobilissima hac disciplina differere, atque adeo uberrimum hunc disputandi campum ingredi constitueremus. Si enim status ille est violentus, sequitur, quod insignis mutatio in anima locum habeat, si vero contraria sententia locum obtinet, clarissime patebit, eam mutationem valde levem esse. Constat enim non essentiam hic mutatam esse, et animam ne quidem potentias organicas amisisse, sed possidere etiam eas in statu separato, tametsi actiones huiusmodi absque corpore edere non possit. Hoc non solum acuratisimi Philosophi satis demonstrarunt, sed et ipsa sana ratio jubet. Si enim essentia animae mutatur, mutari debet vel in Nihil, vel in aliam essentiam, quod absurdum esset, et quamquam Deo non impossibile est, nunquam fieret. Videantur praecipue *B. Donati Institut. Pneumat. Psychol. Cap. IV. p. 508.*

§. IV.

Antequam vero ad caput rei pergamus, unicum paucis observandum, atque adeo tenendum est, distinguendam esse ipsam separationem animae ejusque actum à statu animae separatae. Quippe separatio ani-

animae à corpore, quae mortis tempore accidit, omnino est violenta. Ratio est in promptu, quia conjuncta est cum solutione unionis naturalis, quae est in homine propter corporis cum anima conjunctionem. Denique veritas hujus rei ex eo planius patet, quia mutatio ea, quod nemo inficiari potest, est contra animae inclinationem, quae corpori amico assueta aegre ab eo recedit. Quapropter si omnia accurate nobiscum reputamus, *Alstedius* rei non satisfecisse videtur, quando in *Encyclop. L. VI. p. 389.* scribit: *separationem animae a corpore ferme esse violentam.* Quis enim non videt, separationem eam omnino plane violentam esse, adeoque non tantum violentam videri.

§. V.

Atque haec de separatione in fieri, quemadmodum Philosophi loqui amant, monenda et observanda erant; nunc paucis etiam de statu animae separatae disputandum est. Quando itaque de hoc statu, de separatione scil. in facto esse, (ut à Philosophis status ille circumscribitur,) quaestio nascitur, longe alia ratione respondendum erit. Quod ut commodius fiat, ipsum controversiae statum paucis proposituri sumus. Quaeritur itaque: An separatae animae status sit violentus? Non defuerunt, qui sententiae affirmanti faverent, ex quorum numero commemorandi sunt, *Franciscus Ferrariensis Lib. II. contra gentes Cap. LXXXIII. allegante Scheiblero*, nec non *Melchior. Cornaeus P. II. Curriculi Philos. Disp. IV. Quaest. 2. pag. 323.* Nonnulli, inque hic *Georgius Meierus*, in
A 3 Theol.

Theol. Naturali Disp. XX. Cap. II. Probl. III. Thes. I. ipsum Thomam addunt, de quo tamen Scheiblerus Lib. cit. L. II. p. 668. retulit, quod mens ejus ab aliis aliter soleat explicari; quapropter hoc in medio relinquere maluimus. Idem Meierus Thomae et Ferrariensi addit Henricum, quem Quodlibeto VII. Quaest. XIII. ita existimasse tradit.

§. VI.

Non desunt vero rationes et argumenta, quibus hujus opinionis fautores nituntur, ex quibus alia leviora sunt, alia vero graviora aut alicujus momenti: Ut de levioribus multis agamus brevitatis lex, quum nobis ipsi praescripsimus, prohibet; Unde potiora hujus sententiae fautorum argumenta in medium attulisse sufficiat. Ex quorum numero duo praecipue mentione digniora sunt; Primo enim urgent: Animam in statu separationis viventem perfectionibus quibusdam, quales erant, animare corpus, et in corpore naturales actiones exercere, esse privatam, eamque adeo privationem, certissimum signum esse, quod anima separata in violento statu degat. Secundo loco objiciunt, statum separationis sive animae separatae non esse naturalem aut naturae convenientem, sed potius appetitui Naturali, qui est in anima, plane contrariam, quod praeter caeteros *Melchior Cornaeus loc. cit. urgendum putat*. Concedendum enim esse dicit, animae separatae inesse appetitum naturalem ad corpus tanquam subjectum connaturale; Animam vero extra corpus constitutam esse in eo statu, qui cum appetitu naturali non
con-

congruat, ex quo clarissime liqveat, animam separata esse in statu violento.

§. VII.

Jam vero respondendum esset ad proposita dubia, ut constaret, eam opinionem a veritate aberrare, sed cum aliae sententiae etiam recensendae sint, non alienum ab instituto nostro erit, earum, antequam dubia allata resolvamus, mentionem facere. Permulti enim in ea sunt sententia, animam separatam in statu naturali vivere, quam opinionem, permulti autores comprobare non dubitarunt, quorum nonnullos in medium adduxit *Christoph. Scheiblerus in Metaph. Lib. II. Cap. V. p. 668.* Sed majorem eorum numerum allegavit *Georgius Meierus in Theol. Naturali Disp. XX. Cap. II. Probl. III. Thes. I.* Praecipue vero *Conimbricenses* de ea agunt sententia; sed varias rationes commemorare non opus est, quia non in hac, sed priori opinione recensenda et confutanda nos praecipue occupatos esse oportet; Possunt tamen legi apud *Scheiblerum l. c. p. 669.* Praeterea multi alii aliam amplectuntur sententiam, existimantes, statum animae separatae neque violentum neque naturalem esse, sed praeternaturalem, quam asseverationem permultis autoribus non displicuisse satis liqvet, quos praecipue *Georgius Meierus in Theol. Natur. Disp. XX. Cap. II. Probl. III. Thes. I. collegit,* quibus addi alii possunt, qui ab ea Thesi non abhorruerunt v. g. *Cornelius Martini in Theol. Disp. IV. Thes. XII. p. 126. Christianus Donati in Instit. Pnevm. Sect. III. Cap. III. Thes. XXVI. et XXIX. p. 500. et 501. nec non ipse Georgius Meierus in Theol. Nat.*

Nat. Disp. XX. Cap. II. Probl. III. Thes. III. num. 3, et hodie
Excellentissimus Schroeerus in Collegio suo Pneumat. MS.
P. III. Cap. III. Quaest. III.

§. VIII.

Ut autem appareat, quae sententia reliquis praeferenda, aut veritati consentanea sit, breviter cum Conimbricensibus autoribusque a Meiero nobisque allegatis dicendum est, Animae separatae statum, si accurate loqui velimus, neque violentum esse, neque naturalem, sed praeternaturalem, i. e. talem, qui non contra naturam sit, et a quo anima non abhorreat. Enimvero anima a corpore separata ita vivit, ut statui huic proprie non repugnet, licet naturaliter hunc non appetat, et potius appetitum naturalem habeat ad corpus, tanquam connaturale subjectum. Accuratissime de hac controversia judicat B. Donati in Instit. Pneumat. quando definit, quae ratione termini, praenaturale et violentum, hic sint accipiendi et intelligendi. Placet ipsa ejus verba inferere, quae sequentia sunt: Notabis per *statum naturalem* eum hoc loco intelligi, qui est secundum rei inclinationem, hoc est, ita ut res in eo esse non tantum non repugnet, sed cum maxime etiam inclinatur, ac appetat naturaliter; per *Praeternaturalem*, qui est praeter rei naturalem inclinationem, hoc est, ita ut res in eo esse saltem non repugnet naturaliter, aut ab eodem abhorreat; Per *violentum*, qui est contra naturalem rei inclinationem hoc est ita, ut res in eo esse naturaliter repugnet, aut ab eodem abhorreat. Vid. ejus Instit. Pneumat. Sect. III. Cap. III. Thes. XXV. p. 500. Quae verba eo magis
no-

notanda sunt, quo majorem ambiguitatem termini hi parere solent. Ex omnibus autem hoc maxime observetur ex autore allegato, per statum animae violentum eum intelligendum esse, qui inclinationi animae repugnat, et in quo anima nolit esse, aut a quo plane abhorreat.

§. IX.

Non destituimur rationibus gravissimis, quae in eadem nos sententia magis confirmant. (I.) enim constat, statum separatum animae non convenire ex naturali appetitu et propensione in illum statum, neque ex natura propria, licet hujus status conditio animae proprie non repugnet, neque vim aut violentiam aliquam ipsi afferat, multo minus eam destruat. (II.) Anima non est creata, ut absque corpore subsistat, sed potius hunc in finem, ut corpus sibi destinatum informet. (III.) anima per se est substantia incompleta, quae pertinet ad essentiam hominis constituendam et absolvendam, et quae adeo separata a corpore incompleto modo subsistit. Iam vero Entia incompleta natura ordinata sunt, ut completam essentiam aliquam reddant, quod dum faciunt, dicuntur esse in statu naturali (IV.) quia separatio illa animae accidit per accidens et loco poenae propter peccatum ab Adamo commissum. Si enim homo nunquam peccasset, non moriturus fuisset, atque adeo nullus status se-

B

par-

paratus animae convenire potuisset. Conf. *Georgius Meierus in Theol. Nat. Disp. XX. Cap. II. Prob. III. Thes. III.*

§. X.

Addi possent gravissima argumenta alia, quae hoc ulterius comprobant, clarissimeque evincunt, animam hominis separatam non vivere in statu violento, id enim praecipue nobis agendum est; quapropter missa opinione ea, quae animae separatae status naturalis tribuitur, in illa adversariorum thesi confutanda nos occupatos esse oportet. Obstant autem sequentes rationes. (I.) enim animae separatae status directe non pugnat cum natura animae, quod tamen in rebus violentis fieri solet, in quibus scilicet natura semper vi aut violentia, quae ipsi infertur, quantum potest, resistit (II.) status ille animae post lapsum hominis necessario animae competit, quando scilicet ex corpore excedit, atque extra corpus per longum temporis spatium subsistit; Si etiam status ille naturae non necessarius esset, sequeretur absurdissima haec quorundam sententia, animam esse mortalem. Imo status ille certa loquendi ratione animae naturalis est, propter naturam, quam habet spiritualement, et quoniam anima non ita est ad corpus determinata, ut corpore sublato non nisi per modum quendam violentum separata persistere possit (III.) Accedit, quod anima in statu separationis a nullo agente extrinseco (ut *Georgius*

gius Meierus loquitur) violenter detinetur, quod tamen ad statum violentum proprie talem requiritur. Quo pertinent verba Heereboordii ab eodem allegata, quae commemoratione dignissima sunt: *Violentum aut est contra naturam, cujus principium est extra, aut quod fit repugnante natura, et contra propensionem naturalem, et cui ipsa res resistit per suam naturam et formam, quomodo contra naturam lapidis et violentum ipsi est, detineri aere per manum alicujus (IV.)* Obstat regula Philosophica: Nullum violentum est diuturnum. Iam vero anima diutissime in statu separationis permanere potest, et praeterea aeternum in statu illo durare posset, nisi Deus eam cum corpore resurrectionis scil. tempore iterum conjuncturus esset. Confer. Georgius Meierus loc. cit. et Cornelius Martini in Theol. Dissert. IV. p. 125. et 126.

§. XI.

His vero, ut par erat, breviter observatis, nunc paucis etiam dispiciemus: An status animae separatae nulla plane ratione violentus vocari queat? ad quam quaestionem absque ambagibus sic respondemus: Terminum violenti, si in propria significatione accipiatur, statui huic nullo modo convenire posse. Quod si vero violentum aliquid improprie dicimus, nihil obstaret, quominus etiam animae separatae status possit violentus nuncupari, quia anima in hoc statu vivens privata

B 2

est

est aliqua conditione naturali animae inesse debita, unione videl. cum corpore, atque adeo videtur status animae separatus privative violentus appellari posse. Quam distinctionem Georgius Meierus Lib. cit. in medium attulit, ita ut per statum privative violentum eum intelligat, ubi fit nuda aliqua conditionis alicujus subtractio, sine ejus, quod patitur, repugnantia, cujus generis privationem *Ebelius* in *Disp. Metaphys.* rectissime improprie talem dixit. Interea tamen violentum positivum, quod proprium est, et cum ejus, quod patitur, positiva repugnantia conjunctum est, de statu animae separato affirmari non debet propter rationes gravissimas a nobis haecenus praemissas. Nunc *ὡς ἐν παρόδῳ* simul videbimus, an animae separatae status certa etiam ratione naturalis sit. Ubi paucis monendum est, *terminum naturale* triplicem significationem habere. Quippe primo opponitur supernaturali, quo sensu etiam anima separata in statu naturali vivit, propterea quod non eget principio extrinseco aliquo, ut existat, praeter Dei concursum, qui res naturales pro objecto habet. Secundo contradistinguitur violento, et sic anima separata iterum erit in statu naturali, quia scilicet non est in statu violento. Tertio denique opponitur praeternaturali, quo sensu negatur, statum animae separatae esse naturalem. Tametsi enim status iste non fit contra naturam, non tamen omni ratione naturalis nuncupari potest.

§. XII.

§. XII.

Iam vero ad rationes illas respondendum erit, quae in §. 6. propositae fuerunt. Prima autem earum hoc urgebat, quod anima a corpore separata amittat aliquas perfectiones naturae suae debitas v. g. unionem cum corpore, et exercitium actionum naturalium in corpore; Respondetur, distinguendas esse perfectiones animae, quarum aliae sunt *temporariae*, aliae vero *perpetuae*. Concedimus animam separatam perdidisse aliquas perfectiones temporarias, quae scilicet ipsi ad tempus conveniebant. Sed harum perfectionum jactura nihil essentiae animae detrahit, et tantum abest, ut animae essentiam corrumpat, ut potius anima a corpore separata acquirat sibi alias perfectiones majores, et quidem non minus ipsi naturales, quas in statu unionis non habebat, cujusmodi perfectio est, intelligere purissime et absque impedimentis. Quippe in statu unionis anima sensibus erat annexa, qui haud raro fallere et falli solent. Secundae rationis nervus erat, statum animae separatae non esse naturalem, aut naturae convenientem, sed potius appetitui naturali, qui est in anima, plane contrariam. Respondetur iterum breviter (I.) veritati non esse consentaneam thesin, qua statuitur, animae statum separatam plane non esse naturalem: Quod enim duplici modo naturalis nuncupari possit, clarissime apparet ex his, quae in thesi undecima de *termino naturali* disseruimus. Secundo

separatio quidem in fieri animae a corpore appeti-
tui naturali contraria adeoque violenta est, quia
homo naturaliter a morte abhorret: At vero de
statu separato animae non omni modo pronuncia-
ri debet, quod fit contrarius appetitui animae. A-
nima quippe non repugnat huic statui, sed aeter-
num, si Deo ita videretur, in statu separato pos-
set persistere. Enimvero duplex hujus phraseos
sensus esse potest: primo enim hoc significare vi-
detur, statum animae separatae appetitui naturali
ita contrarium esse, ut anima hunc statum aver-
setur, aut in illo esse repugnet. II. Eadem ita acci-
pi potest, ut non contrarietatem sive aversionem
animae includat, sed tantum indicet, appetitum ani-
mae naturalem ad conjunctionem et unionem cum
corpore adhuc adesse, cui adeo status animae sepa-
ratus contrarius esse videatur. Si adversarii phra-
sin in priori sensu accipiunt, res ipsa loquitur, eos
a veritatis via aberrare, quia anima in statu separa-
to nihil patitur, sed suaviter vivit, adeoque in eo es-
se non repugnat. Si vero in secunda significatio-
ne intellectam volunt, tunc potest certo modo con-
cedi, tametsi a voce contrarietatis abstinere prae-
stet.

§. XIII.

Ut mentem nostram eo melius explicare possi-
mus, non alienum ab instituti nostri ratione erit,
bre-

breviter differere de quaestione: Num anima separata retineat appetitum naturalem et propensionem ad corpus. Quam Scotistae magno numero negarunt, Thomistae vero constanter asseverarunt. Affirmans sententia non abs re Philosophis etiam recentioribus plerisque probatur, quos merito etiam nos sequimur. Nam ut alia argumenta gravissima, quae hoc evincunt, taceamus, ipsius animae natura hoc satis clare probat. Anima enim Adami non ante corpus Adami creata fuit, sed corpori a Deo creato inspirata, quemadmodum etiam hodie animae nostrae non ante corpus existunt, quod multi olim persuadere conabantur. Controversiam hanc eum in finem adduximus, ut concilietur cum nostra sententia, cui contradicere videtur. Posset enim aliquis eam nobis obijcere atque argumentari: Si anima separata habet adhuc appetitum ad corpus, sequitur, quod anima in eo statu vim patiatur. Respondemus paucis connexionem non cohaerere, propterea quod anima non statim repugnat statui separato, quando in eodem statu appetitum habet ad unionem cum corpore. Quippe anima naturaliter quidem appetit unionem cum corpore, non tamen hac de causa vim aliquam patitur, cui subjecta esset, si simul statui separato repugnaret.

§. XIV.

Praeterea multa adhuc de statu animae separatae dici possent, nisi instituti nostri ratio prohibe-

127
hiberet, cui scil. studentibus non integrum erat, quaelibet promiscue de statu animae separatae in quaestionem vocare, sed ea tantum quae ad quaestionem, quam tractavimus, explanandam atque enucleandam spectare videbantur. Non itaque disputabimus, utrum anima separata dormiat ut, *Jacobus Boehmius* existimasse creditur, aut quiescat, aut qua ratione intelligat, et quae sunt hujus generis quaestiones aliae. Quapropter colophonem tandem labori nostro imponimus, et alias hujus generis controversias aliis explicandas relinquimus. Divino autem Numini quantas possumus, persolvimus gratias, quod sua gratia nobis adesse voluerit, idemque ardentissimis precibus obtestamur, ut studia tum Philologica, tum Philosophica apud nos nunquam non florere clementissime jubeat.

Soli Deo Gloria!



coll. diss. A. 70, misc. 70